

2631

C O D I C E S

2632

stantis, quod Sec. XIV. condidit *Johannes Gorinus* seu *de Goro* dictus a loco natali *de S. Geminiano* in *Tuscia* O. P. quamvis in *Prologo* totius Operis dicatur Autor *Helvicus Teutonicus* ejusd. Ord. quo sub nomine vel *Johannem* latere voluisse dici potest, vel *Helvicum* illum egregium Plagiarium fuisse, nisi mitissime illum Operis hujus Promulgatorem in *Germania* habere velis. Interim utroque nomine typis illud proditum est, et quidem *Helvico* tributum *f. l.* et *a. f.* *Johanni* vero *Venetis* 1497. et 1499. item *Basileae* 1499. *f.* Libris nostris *Tribus* praemittuntur *Capitum Elenchi* et *Tertio* excepto *Prologi*, et *Tertius* quidem *Similitudines a Vegetabilibus et Plantis*, *Quartus a Natatilibus et Volatilibus*, *Quintus* demum ab *Animalibus terrestribus* repetit. Multa fane in his fabulosa obtrudi, non est, quod moneam. *Libri III. C. 1.* initium est: *Abdicatio temporalium assimilatur putationi arborum &c.* De Autore tradunt *Bibliothecarii O. P. T. I. p. 528.*

DCLXXXVIII.

693 Codex membraneus lat. Sec. XIII. aut XIV. Folior. 194. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus, et olim *Conventus fratrum sancte Crucis in Colonia* complectitur *Sermones* sacros breves, et primum quidem, ut dici solet, *de Tempore*. Sermo primus *Dominica prima Adventus domini* in illud: *Emitte*

manum tuam de alto &c. incipit: *Eccè Karissimi. Sicut naufragi in medio fluctuum periculosissimorum et captivi in medio hostium seuissimorum desiderant liberationem &c.* Pertingunt hi *Sermones* usque ad *fol. 87.* cujus *p. 2.* incipit interjectus *Sermo In Synodo de dignitate sacerdotali*, hoc tenore: *Uos estis genus electum regale sacerdotium &c. Beatus petrus princeps apostolorum et prelatorum vicariis suis ipsum imitantibus scripsit premissa verba &c.* Sequuntur *Notanda de Electione multiplici*, *Sermo de querendo Domino* et *Sermo ad clerum siue in Adventu*. Post haec *fol. 94. p. 2.* Incipit proprium *sanctorum*, et quidem *de beato andrea*, cujus *Sermonis* initium est: *Extendam palmas meas ad dominum. Exod. 9. Hoc uerbum Moysi poterit dicere beatus Andreas &c.* Adfunt etiam *Sermones in translatione Francisci*, et in *Festo Anthonij confessoris de ordine minorum*, quem *Gregorius IX. 1232.* inter *Divos* retulit. Item *de SS. Mauritio et Ursula &c. Fol. 159.* succedit *Commune Sanctorum*, et *fol. 169.* praemisso *Elencho Collectio Exemplorum* potissimum *e Vitis Patrum*. Finem faciunt a *fol. 191.* *Fragmenta IV. Sermo-num*, quorum primus *de triplici Pluvia* inscribitur.

DCLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 748 XIV. Folior. 290. 8. per duas columnas non una manu exaratus, et quondam ad *Wenc. Rossam* Sa-